





DISCURSUS JURIDICUS
DE
Jure Inventarii,

QUEM,
SS. TRIADE B. F.

Consensu Nobilissimi JCtorum Ordinis,
in Academia Gryphiswaldensi,

Sub PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. PETRI MASCOVII,
U. J. D. ac Professoris in Almâ hac Ordinarii,
Fautoris ac Præceptoris sui summè
devenerandi,


Publica & placide Eruditorum ventilationi
submittit

GOTFRIDUS PHILLI
Stralsundensis,
A. & R.

Ad diem 6. Maii, Anno O. R. M. DC. LXX.
in Auditorio Majori horis consuetis.

GRYPHISWALDIAE,
Characteribus MATTHÆI DOISCHERI, Academæ Typographi.

27



574

P RÆ F A T I O.

Summū erat quod heredes tam ex testamento quam ab intestato hereditatem aedundo subibant periculum: quippe per aditionem seu immixtionem omnibus creditoribus hereditariis obligabantur. Quicquid debebat defunctus, post aditionem heredes debebant, tametsi plura debebat, quam in bonis & facultatibus reliquisset, solidū tamen creditorib, etiam ultra vires hereditarias solvere tenebantur. Imo sicuti defunctus propter obligationes de jure XII. Tabb: si non esset solvendo, adjudicatus creditoribus poterat laniari ac discerpi A. Gell. N. A. lib. ult. c. 1. vel quod postea introductū, in carcerē conjici, nisi bonis cederet, per quam cessionē tamen, non quidem ab obligationibus, quia semper tenebatur, si ad pingviorem fortunam pervenerat, ut solveret, quamvis à carcere liberabatur. l. 3. §. tutores. & ibid. gloss. in verb. vinculis. ff. de suspect. tut. l. 1. C. qvibonis ced. poss. ita & eadem ratione post aditionem heredes, ad omnia illa, quæ jam diximus, etiamsi non esset tantum in bonis defuncti, tenebantur, Sichard. in Cod. ad l. fin. C. de jure delib. n. 1. Maluerunt itaq; hereditatibus saepius abstinere heredes, easq; repudiare, quam cum periculo, tamq; insigni bonorum suorum jacturā hereditates adire. Interim cum publicè expediebat, ut suprema hominum judicia exitus, l. 5. ff. testam. quemadmodum. op. & defunctorum intererat, ut successo.

A

cesso.

cessores, eosq; promptissimos haberent. l. 6. ff. de interrog. in jure fac. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 14. VVesen-
p. 1. cons. 13. n. 26. cum primis quia Testatoribus incom-
modum erat, fere etiam ignominiosum; non invenire
heredē, quem ipsi elegissent tamen atque instituissent,
Rittersh. d. l. p. 6. c. 5. n. 3. Schot. Ex. Jur. t. qui & à quib.
manum. idcirco indultum est heredibus & quidem ex-
traneis tempus aliquod, quo secum deliberare pos-
sent, an expediret hereditatem adire vel non, & qui-
dem hoc deliberandi tempus vel à Testatore dabatur,
Cretioq; dicebatur, Ulpian. in fragm. tit. 22. vel à Ju-
dice. l. 1. ff. de jure delib. Si à Testatore datum fuerit,
observandum erat, sicut ille voluit, intraq; illud spa-
tium adire cogebantur heredes, alioquin solo tem-
pore excludebantur, Peretz. in Cod. tit. de jure delib. n. 1.
Sin autem datum à Judice, tunc diversimodè observa-
batur, quia Prætor pro arbitrio & ut plurimum 100.
dies dabat. l. 2. ff. de jure delib. Ab aliis Magistratibus
novem menses. Ab ipso autem Principe annus con-
cedi solebat, donec arbitrarium hoc deliberandi tem-
pus demum factum est ordinarium, i. e. unicuique da-
tum sine speciali impetratiōne ad annum, ex quo he-
reditatem sibi delatam quis agnovit. l. 19. C. de jure de-
lib. l. 22. §. 3. eod. Zoes. ff. d. t. n. 2. Sed in extraneis he-
redibus primitus tantum hæc obtinebant, ut, quibus
olim tantum liberum erat adire hereditatem vel repu-
diare; non item in Necessariis & Suis: Necessarii
enim (quales erant servi) sive volebant sive nole-
bant, ipso jure citra ullam aditionem liberi & here-
des existebant. §. 1. Inst. quib. ex cauß. man. non poſſ. §. 1.
Inst. de hered. qual. & diff. Sic & Sui, propter dominii
continuationem, & quod subtilitate El. XII. Tabb.
itidem,

itidem, sive volebant sive nolabant, hereditatem ex testamento quam ab intestato, paternam hereditatem agnoscere tenebantur §. 2. *Inst. de hered. qual. diff. ibi qd. Dd.* Verum cum & Suis Prætor abstinenti facultatem tribuit, etiam ipsis deliberandi spaciū indulsisse intelligendus est, utrum immiscere se hereditati, an vero abstinentia ab ea velint §. 2. *Inst. de hered. qual. l. 7. ff. de jure delib. Inst. §. 2. & 12. C. eod. Ludwell. ad §. 4. de hered. qual. n. 1.* Cœterum deliberandi hoc beneficium, etiamsi in eo utile, quod spatium aliquod temporis ad hereditatem adeundam concesserit, tamen in eo pericolosum existit, quod is, qui jure deliberandi usus est, & ita hereditatem adit, ad omnia pericula & onera hereditaria teneatur §. 5. & 6. *Inst. de hered. qual. l. 10. C. de jure delib.* Vedit jam ante Justinianum Div: Hadrianus, quam facilè etiam Deliberantes impingere potuerint, adeundo hereditatem damnosam, quam lucrosam putarunt: Proptereaq; majoribus 25. annis (Minores enim ut in omnibus aliis causis decepti, ita & si temerè damnosam, adierunt hereditatem, à Prætore indemnes servantur) ob æs alienum improvisò in adita hereditate natum per restitutionē ex generali clausula succrendum esse constituit d. §. 5. *Inst. de hered. qual. l. 22. pr. C. de jure delib.* Quem secutus est Imperator Gordianus, qui gratiam militum captando, ut milites hereditatem adeuntes, ultra vires hereditatis non tenerentur, statuit d. §. 2. d. l. 22. Sed uti Hujus, uni hominum generi Militibus nimirum, ita Illius Constitutione in uno tantum debiti improvisi casu heredibus prospectum erat. Quare ut magis atque plenè heredibus consuleretur, Imperator noster Justinianus ex singu-

A 2 lari

lari humanitatis ratione novum & saluberrimum inventarii beneficium induxit, quo legitime confecto, Heredes ultra vires hereditatis non teneantur. De hoc, quod diximus, Inventarii beneficio tanquam nobilissimo scituq; necessario argumento præsentem nostrum instituimus Discursum & periculum Academicum; ita tamen, ut (1) videamus, quid sit inventarium? (2) Quis teneatur conficere inventarium? (3) Quomodo conficiendum? (4) Ad quid, seu qui effectus legitimè confecti inventarii? et denique (5) quæ poena ejus, qui neglexit conficere inventarium. Sitq; implorato Divini Numinis auxilio

THESES I.

Cum teste Cicerone i. de offic. optima sit alicujus rei traditio à definitione quæ proficiscitur, per quam planè intelligimus, quid res sit, de qua agendum. Myns. ad princip. Instit. de J. & J. n. 5. Idcirco etiam Nos rem operæ pretium refundentem agere putamus à definitione initium facturi. Hæc autem cum duplex sit: Nominalis, quæ vocis significationem exponit, & Realis, quæ explicat naturam rei per vocem explicatæ, hinc primo de illa quædam breviter prælibemus: Verborum enim cognitio plurimum facit ad ipsarum rerum intellectum, econtra, verò eorum neglectus rerum parit incertitudinem, Oldendorp. class. 4. act. mandati. quam refert Rickius de Unione prolium cap. 1. n. 1.

II. Etymon igitur sive genuinam vocis Inventarii deductionem quod concernit, dictum est ab inveniendo, quod res in eo descriptæ inveniantur, ut quot, quantæ & quales sint, scire possit l. ult. C. arbitratur. Invenire autem est cum inquisitione, unde invenire

venire est in id venire, quod quæritur, post Isodor.
Etymol. 10. Roland. à Valle de invent. confect. part. 1. §. 1.
 Hillig. Donell. Encl. 7. c. 3. Harprecht. ad §. 6. Instit. de
 hered. qual. & diff. n. 2. Mejer in Colleg. jur. Argent. tit. de
 acquir. hered. th. 31.

III. Quà Homonymiam, vocabulum Inventarii
 vel latè & generaliter sumitur, vel strictè & speciali-
 ter: latè & generaliter acceptum, non tantùm rerum
 quæ in alicujus hereditate reperiuntur, sed omnem
 & quorumvis bonorum consignationem denotat.,
 sive de bonis vacantibus l. ult. C. de bonis vac. sive pro-
 scriptorum l. 7. C. de bonis proscript. sive debitorum l. 15.
 ff. de reb. author. pos. sive pupillorum & minorum l. 7. ff.
 de admin. tut. l. 24. C. eod. conficiatur. Cum enim ca-
 put reddendarum rationum est inventarium, sine
 quo ratio accepti & impensi subsistere nequit, post
 Plotum de in lit. jur. §. 4. n. 85. seq. §. 5. n. 28. Magnif. Dn.
 Vice-Præf. Mevius in Comm. jur. Lub. 2. T. 2. a. 21. n. 6.
 utique unicuique ad reddendam rationem seu ad re-
 stitutionem rerum cum publicarum tum privatarnm
 obligato, coufiandi inventarii necessitas incumbit,
 post Pinelium & Vasquium, Rauchbar l. q. 30. num. 30.
 Heig. l. q. 20. n. 1. seq. n. 8. Strictè verò & specialiter re-
 rum hereditiarum seu in hereditate repertarnm de-
 scriptionem significat, quæ heredibus propria est, at-
 que si non ultra vires hereditarias teneri velint, pro-
 curare tenentur l. fin. §. 4. C. de jure delib. Et in hoc si-
 gnificatu speciali Nos, relichto generali, inventarium
 per præsentem discursum considerabimus.

IV. Synonymorum híc vilis est annona voca-
 bulisq; Synonymicis inventarium non abundat, præ-
 terquam quod & Repertorium dicatur in l. 7. ff. de ad-

min. & peric. iut. ubi Ulpianus ait, Repertorium vulgo inventarium appellari solet, Glossa exponit, Repertorium ideò dici, quia res in eo descriptæ reperiantur Sebast. Monticul. *de invent. hered. c. 3. n. 1.* vel quod res in hereditate repertæ describantur, Roland à Valle, *de invent. part. 1. §. 1. n. 4.* Aliàs Synopsis rerum hereditiarum, s. synopsis hæreditaria dicitur *l. 5. §. 11. ff. de rebus eorū qui sub tut. Calvin. in Lexic. Jurid. verb. inventarium. Hubert. Giphan. in comm. ad LL. Codic. difficilior. ad l. fin. §. sin autem. C. de jur. delib.*

V. Definitionem nominis sequitur definitio rei, quæ fax & anima totius tractationis est, Calvin. *de jđict. p. 401.* Ab aliis quidem aliter definitur inventarium. Nos dicimus, quod sit accurata & legitima rerum singularum in hereditate existentium annotatio seu designatio, Biccius *in Aurea s. Rer. quot. sect. 3. apb. 105.* Mejer. *in C. I. A. tit. de acquir. hered. 8. 31.*

VI. Dividi potest in publicum seu solemne & privatum seu minus solemne. Publicum & solemne est, quod sub præsentia publicarum personarum seu per personam publicam secundum formam publicè præscriptam *in l. fin. C. de jure delib.* conscribatur. Privatum verò & minus solemne, quod privatim in præsentia privatorum forsitan cognatorum à Testatore nominatorum conficiatur. Sicuti enim Testator planè remittere queat heredi confectionem inventarii, modò creditores non reliquerit, itâ & multò magis expressè prohibere, ne in præsentia publicarum personarum solemne rerum suarum inventarium fiat. *arg. l. ult. C. arbitr. tut.* Ne vel invidiæ exponantur divitiæ ejus, vel paupertatis vilitas detegatur. *l. 2. C. quando & quib. quart. pars. Carpzov. Jurispr. forens. 2. const. 11. def. 4. n. 9.*

VII.

537

VII. Hisce prælibatis recto ordine progredimur ad causam efficientem seu personas , quæ teneantur conficere inventarium , ubi pro regula tenendum , Quod omnis omnino heres , qui ultra vires hereditatis à creditoribus & legatariis conveniri suoq; periculo hereditatem adire nolit , inventarium conficere teneatur . l. fin. §. si quis à temerario . C. de jure delib. ibi qd Dd. sive sit heres ex testamento sive ab intestato , d. l. fin. §. 1. sive suus sive extraneus , Roland à Valle de invent. confess. p. 2. §. 1. sive primi sive secundi gradus heres s. substitutus , Monticul. de inventar. c. b. n. 46. 47. sive ex parte sive ex asse d. l. fin. §. 1. sive unus sit sive plures heredes , & quidem ultimo casu , si plures sint heredes , concludendum , quod unusquisque eorum facere debeat inventarium , nisi omnes simul conficiant , vel omnes consentiant uni confienti nomine omnium . post Cynum in l. fin. C. de jur. delib. Roland à Valle d. l. p. 2. §. 2.

VIII. Cumq; prout diximus omnis Heres inventarium conficere teneatur , utique non excluditur Princeps , sive ab extraneo Heres sit institutus , sive proximior agnatus existat : Præterquam enim quod omnibus hominibus communem hanc de inventario conficiendo legem posuit , imperialis personæ expressè mentio fit in Nov. 1. de hered. & falc. c. 4. §. in fin. Et quamvis legibus solutus sit Princeps l. 31. ff. de LL. secundum leges tamen vivit . §. ult. Instit. quibus mod. test. infirm. prout etiam decet tantæ Majestati servare leges , quas tulit l. 23. ff. de Leg. 3. & digna vox est Maje- state regnantis legibus alligatum se Principem profi- teri l. 4. C. de LL. Sichard. ad fin. C. de jur. delib. in princ. n. 8. Paul Voet. ad §. 5. j. de hered. qual. & diff. n. 4.

IX.



IX. Pariter Ecclesia tenetur conficere inventarium, si tanquam heres acquirit, per idem cap. 4. d. Nov. de hered. & fact. ubi Imperator neminem, sive sit persona privata sive militaris, sive sacerdotalis sive imperialis, sive alterius cuiuslibet, eximit, imo tenetur potius ultra vires hereditarias si non conficerit inventarium, vid. Rol. à Valle p. 2. §. 12. n. 4. ubi ad rationes Dissent: Bartoli, Baldi, & Castrensis respondet, interim non dubitamus, quin Ecclesiæ saluum maneat jus petendi restitutionem in integrum adversus omissionem inventarii, consentiunt Fachinæus lib. 6. c. 20. & Matth. Stephan. ad Novell. 1. n. 33. us. utrum autem &c.

X. Nec dubitamus de Fisco, quin ille teneatur conficere inventarium, Guid. Pap. de invent. n. 13. censetur enim (1) jure privati heredis, Roland à Valle p. 2. §. 11. n. 10. (2) Quia Imperator, qui alias Orbis Dominus dicitur l. deprecatio. ff. ad l. Rhod. de jactu. tali periculo, ut heres, subjectus est. (3) Qnod fiscus nunquam presumatur privilegiatus, nisi hoc sit expressum in jure per gl. in l. 1. verb. pertinet. ff. de petit. hered. Secus verò est, si Fiscus heres institutus non sit, sed in bona succedat, vel ex delicto, vel propterea, quod bona sint vacantia; tum enim, quia non pro herede, sed pro possessore habetur, ultra vires bonorum conveniri nequit, si inventarium conficere supersederit. Jul. Clar. pr. crimin. quest. 78. v. verum scias. Hoenon. disput. ad inst. 10. θ. 6. Fachin. d. l. controv. 21. dissentit alias quoad prius membrum Peregrinus de jure fisci lib. 4. tit. 1. num. 3.

XI. Circa milites res videtur dubia, num & habebit omissam inventarii confectionem ultra vires heredita-

reditatis teneantur? Sunt quidam qui affirmant, inter quos etiam reperitur Roland à Valle d. l. p. 2. §. 4. cum ibid. allegatis Dd. sed nos negativam, quam & Glos-
sa tenet ad pr. l. fin. C. de jure delib. nec non Vasquius in
tract. de succēs. progreß. §. 20. n. 55. ut veriorem proba-
mus, cum propter ingentia pericula, quæ pro Re-
publica in expeditionibus sustinent, nec non propter
simplicitatem & jurium ignorantiam, quando arma
magis quam jura milites scire dicuntur pr. l. fin. C. de ju-
re del. tum propter speciale privilegiū Gordiani con-
stitutione militibus concessum, quam constitutionem
Imp. Justinianus non abrogavit, ut potius eam quoad
milites confirmavit. d. pr. & §. ult. d. l. fin. conf. l. 6. & 18.
ff. de reljudic. Nec adversatur, quod in Novell. i. c. 4. in
fin. legem generalem & omnibus hominibus commu-
nem Imperatorem imposuisse dicatur: Nam hoc ad
milites speciali privilegio, quoad hunc juris articu-
lum munitos trahi nequit, cum specialia privilegia
generali correctioni non subjaceant. Ludwell. ad §. 6.
instit. de exbered. lib. Deinde falsum est, quod Rol. à
Valle d. l. n. 3. cum asseclis pro vero affert, quod ho-
die milites adæquati sunt paganis, cum verior eorum
opinio, qui statuunt, quod & hodie nostris militibus
eadem circa ultimas voluntates competant privile-
gia, quæ olim militibus Romanis concessa, maxime
cum omnes illæ rationes adhuc vigent, eadem nostro-
rum militum sunt pericula, eadem ignorantia juris &
armorum occupatio. vid. Schneidewin. ad tit. de milit.
test. n. 8. Arum. 7. exerc. 8. Goddæus de contrab. stipul. c. 7.
n. 305. Gail. 2. obs. 118. Carpzov. Jur. Forens. 3. c. 4. def. 26.
n. 4. imo milites hodiernos digniores privilegiis ac
veteres novissimè ostendit Burgersrent. 1. obs. milit. 41.

XII. Sic quoque Minores inventarium facere,

B debent,

debent, nisi velint suo periculo hereditatem adire, atque ultra vires hereditarias teneri; Interim si læsos se inveniant, ut alias, ita quoque ad confidendum inventarium restitutionem petere possunt. *Nov. i. c. 4. §. 1.* Porcellin. *de Invent. c. 3. n. 15.* modo probetur absque inventarii confectione adita hereditas damnosa. Mynsing. *4. obs. 16. n. 1. & 5.* Guid. Pap. *de c. 141. 142. & 571.*

XIII. Pupilli & Furiosi ex testamento vel ab intestato heredes, non quidem ipsi inventarium confidere possunt, harum tamen personarum Tutoribus vel Curatoribus omnino hoc incumbit, & si non fecerint inventarium, ipsi in solidum tenentur, & damnum, quod dederint, resarcire coguntur. Montic. *de invent. hered. cap. 6. n. 43.* imo duplex quoddam subsidium læsis datur, vel per restitutiones in integrum, vel per viam contra negligentes tutores vel curatores damnū consequi. *§. 1. c. 4. Nov. i. Sich. ad c. l. fin. n. 6.*

XIV. Neque mulier immunis est ab inventarii confectione; exempta enim in communi omnibus hominibus posita legē non reperitur: Et licet secundum Baldi priorem mentem excusari posset propter simplicitatem, & quod præsumptio doli in illa cessare videatur, contrarium tamen & ipse Baldus demum statuit, & nos defendimus, quia legē non reperitur quod excusetur, ideoque rigori standum, maximè cum & inducta ad rigorem juris conservandum ita obligant mulieres ut masculos, Roland à Valle *l. p. 2. q. 9:* Et mulieri in jure erranti non succuratur, nisi in certis casibus à legibus expressis. *argum. l. fin. C. de juris & facti ignor.* Petr. Peck. *de testam. conjug. l. 1. c. 34.* Chistinæ *vol. 2. dec. 67. n. 9.* Quos casus congesit. Sfortia Oddus *de Rest. q. 10. art. 10.*

XV.

XV. Par modo Rusticos ad confectionem inventarii obstrictos esse dicimus, quia & his non succurritur nisi in casibus in jure expressis, item quia videmus, quod in his, quæ ad rigorem juris conservandum tendunt, rustici non excusantur, nec lex expressè de illis cavet: Restitutionis tamen ope illis succurrentum erit ex clausula illa generali, *si qua mibi iusta causa, &c.* & quando peritiores consulere non potuerunt. Roland à Valle *d.l.q. 10.*

XVI. Fiduciarium quod concernit heredem, qui rogatus est alteri hereditatem restituere, num inventarium confiscare teneatur? extra controversiam non videtur. Alii quidem negant, eo quod non reperiatur in jure cautum, quod Heres Fideicommissario inventarium confiscare teneatur; Deinde quod Justinianus inventarium in gratiam heredis, non verò alterius introduxerit. Nonnulli simpliciter affirmant, quia heres fideicommissario ad satisfactionem, itidem ad rationum redditionē teneatur, tertio quod heres, nisi faceret inventarium, facile invitaretur ad delinquendum, res invertendo & supprimendo, quæ occasio delinquendi semper est amputanda. *I. convenire. ff. de pact. dotal.* denique cum heres redintegrare tenetur fideicommissarium, si quid dolose & per desidiam egerit, & Fideicommissarius probare res in dominio testatoris fuisse, hoc verò fieri non posse constat, nisi de calculo bonorum per inventarium liqueret. Alii demum putant distingvendum esse, num heres simpliciter bona seu hereditatem ex certo tempore vel certa conditione existente restituere alicui rogatus sit, an verò si aliquid, vel quicquid tempore mortis heredis seu tempore existentis conditio-

nis supersit, alteri restituere debeat. Et priori casu o-
mnino teneri inventarium conficere, posteriori ve-
rò non, cum hoc casu ex perspicua defuncti volunta-
te diminuere interim & alienare queat heres bona he-
reditaria. Verùm cum & ultimo casu illa demum di-
minutio permissa, quæ boni viri arbitrio congruit &
quæ sit bonâ fide, dilapidatio verò bonorum heredi-
tariorum prohibita. l. 3. s. nonnunquam. ff. de usur. l. 54. ff.
ad Sct. Trebell. Et jure novissimo heres bona fidei-
commisso subjecta pro dodrante diminuere queat,
Quadrantem fideicommissario conservare debeat.
de quo restituendo cautionem præstare teneatur. No-
vell. 108. autb. contra C. ad Sctum Trebell. & ibid. Dn. Brun-
neman. Utique non minus in posteriori casu, quam
priori heres fiduciarius inventarium conficere tene-
tur, qui enim & de quadrante perfectè constabit, si
non de calculo rerum hereditiarū liqueat? De quo
minus dubium, si fideicommissarius ab herede inven-
tarii confectionem urgeat, quod tamen perperam ne-
cessariò communiter Dd. requirunt. vid. Guid. Pap.
decis. 351. Peregrin. de Fideicomm. art. 3. n. 79. & artic. 35. n.
25. cum ibid. allegat. ac si haud postulante fideicommis-
sario non teneretur? Communiter quoque Dd. pu-
tant, solemne inventarium ab herede hoc casu confi-
ciendum non esse, sed aliqualem rerum hereditaria-
rum descriptionem sufficere, imo satis esse inventa-
rium fieri cum forma, quam servat Tutor in confici-
endo inventario, quod ad utilitatem pupilli confice-
re tenetur. Monticul. de invent. c. 6. n. 8. Roland à Val-
le p. 2. q. 19. n. 1. quod an rectè se habeat, in conflictu
videbimus.

XVII. Sic & Fideicommissarius universalis &
parti-

particularis, id est, cui pars hereditatis restituitur
 (nam is, cui certa res præstatur, non particularis sed
 singularis Fideicommissarius dicitur) quia heredis
 locum obtinet. *l. si filius. ff. quod cum eo. l. postulante. v. ex*
asse & passim. ff. ad Trebell. §. restituta. Instit. de fideicomm. be-
red. perinde ac heres ipse inventarium confidere &
potest & debet, nisi in solidum creditoribus satisfa-
cere velit. Porcellin. de inventar. c. 6. n. 22. Roland p. 2.
q. 20. n. 4. Mejer in C. J. A. d. l. l. 31. Hoc tamen com-
 muniter ab aliis limitari solet, nisi heres fiduciarius
 fecerit inventarium, quod tunc fideicommissarius o-
 pus non habeat. Verùm de hac limitatione dubita-
 ri posset, cum adhuc dubium, num inventarium ab
 herede gravato confectum fideicommissario profit,
 ut supra vires hereditatis non teneatur? Vulgo Dd.
 negant, & pro seipso fideicommissarium teneri inven-
 tarium confidere statuunt, nisi hoc quoque jus & be-
 neficium inventarii nominatim cessum atque in eum
 translatum sit, quod utique per heredem fieri, si ve-
 lit, potest. post Bart. in *l. 11. §. 5. ff. ad L. Falc.* Ant. Fab.
 in *Cod. Sabaud.* lib. 6. T. 11. defin. 24. Rittersh. ad *Novell. 6.*
c. 8. n. 39. A quibus tamen alii & forsitan rectius dis-
 sentiunt, ut Baldus nec non Paul. Castrensis in *l. fin.*
§. 4. C. de jur. delib. item Imola & Alexander in *d. §. 5.*
l. 11. ff. ad L. Falc. per subtilem rationem, quod jus ex-
 cipiendi sine cessione transeat. *l. rescriptum. §. fin. ff. de*
pact. non verò jus agendi. Monticul. *c. 5. num. 61. & 62.*
 de quo minus dubium, si instrumentum ab herede
 gravato, legitimè adhibitis Notariis confectum,
 quod publicam fidem meretur. Wissenb. *1. 8. 57. l. 18.*

XVIII. Substitutus itidem inventarium facere
debet, nisi ultra vires hereditatis teneri velit: est enim

Secundo loco institutus heres. l. 1. pr. ff. de vulg. & pupill.
subst. Excipitur tamen, nisi & primariò institutus fe-
cerit inventarium. Nam si hic fecerit inventarium,
& postea non existat heres (confectione enim inven-
tarii non aditur hereditas. Roland p. 3. §. 3. Monticul.
c. 8. n. 6.) vulgariter substituto prodesse cum Alexand.
ad d. §. 5. quod vulgo. l. 11. ad L. Falcid. verius puto, quam-
vis Bartolus ibid. subdubit nec decidere audet. Cir-
ca pupillariter substitutū idem obtinere non dubita-
mus, quod nimis si nolit creditoribus tam pater-
nis quam pupillaribus in solidum teneri, inventarium
confidere debeat, ut interim si pupillus hereditatis
paternæ inventarium fecerit & in ætate pupillari de-
cesserit, quoad patris bona pupillariter substituto
profit, non autem quoad bona pupilli. Bart. d. l. sunt
enim duæ quodammodo hereditates. §. igitur. Inst. de
pupill. subst. ut mirum videri nequeat, si inventarium
factum à pupillo in bonis paternis non pro fit substi-
tuto in bonis pupillaribus, sed de his proprium con-
fidere teneatur inventarium. Montic. d. l. n. 64.

XIX. Sequitur forma inventarii conficiendi,
circa quam generaliter tenendum, quod confici de-
beat inventarium secundum formam ab Imperatore
præscriptam. in l. fin. C. de jure delib. quod si non factum,
inutile sit, cum paria sint in jure nostro non facere &
non legitimè facere. Frider. Pruckman. vol. 1. cons. 36.
n. 15. Ubi tamen tria cum primis veniunt consideranda.
Tempus nimis, Personæ, & Modus. Hahn. Obs.
Wesenbet. tit. de jure delib. Philip. Christoph. Richter ad
Authent. cum testator. C. ad L. Falc. n. 61. Ad hæc enim
membra cætera omnia requisita referri posse rectè
sunt Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 8. n. 5. 6.

XX.



XX. De tempore notandum, quod hic duplex sit, aliud inchoationis, aliud absolutionis seu perfectio-
nis. Inchoationis dicitur, à quo inchoandum, & constituit Imperator Justinianus in *l. fin. C. de jure delib.* XXX. dies seu mensis spatium, in quo confectione inventarii initium capere debeat. Rittersh. *d.l.n.7.* In-
telligendi autem sunt dies non utiles, sed continui, quia inventarium non necesse est ut judicialiter fiat; potest enim extrajudicialiter fieri, & in privatis ædi-
bus nullo adhibito judice: in talibus autem actibus dies spectantur continui sicuti in judicialibus utiles. Giphanius ad *l. ult. C. de jure delib.* Richter ad *Authent.*
sed cum testator. C. ad L. Falc. n. 16. Absolutionis vero tempus in quo perficiendum, duo alii menses seu LX.
dies constituti sunt, ita ut XC. diebus, seu tribus men-
sibus inventarium plenè confici oporteat. *l. fin. §. 2.* &
n. C. de jur. delib. Corasius de *invent.* *n. 16.* Mejer in *C. J.*
A. de acquir. hered. tb. 32. Quod absolutionis tempus primitus indistincte obtinebat, omnibusq; tam præ-
sentibus quam absentibus sufficiebat, donec tandem distinctio inter præsentes & absentes addita, ut præ-
sentibus i. e. in eadem civitate degentibus quidem detur prædictum trimestre tempus, intra quod in-
choarent & absolverent inventarium, sed absentibus ab eo loco, in quo tota hereditas vel maxima heredi-
tatis pars sita est, IV. menses ad inchoandum & VIII.
menses ad absolvendū inventarium, adeoq; anni spa-
tium ad consummationem inventarii concessum fue-
rit. *d.l. fin. C. §. 3. de jure delib.* Quod tempus sufficiens visum, etiam si res hereditariae in remotissimis locis sitæ essent *d. §. 3.* Rittershus. *d.l.n.7.* Matth. Stephani
ad Nov. l. n. 35.

XXI. Annale illud conficiendi inventarii temporis in predicto casu, quando alibi hereditas tota, vel maxima ejus pars, quam ubi degit heres, sita est, extra omne dubium à morte testatoris numerari debet: clara enim sunt verba §. 3. d. l. fin. C. de jure delib. ibi, à morte testatoris &c. Rittersh. & Stephan. dd. ll. Cu-jac. ad Novell. i. At de trimestri tempore multum ambigitur, num à die delata, an verò aditæ hereditatis currere incipiat? Et quod ab adita hereditate numerandum sit, post Bartolum. Paul. Castrens. ad l. ult. C. de jure delib. Bald. ad Auth. sed cum testator. C. ad L. Falcid. defendit Roland à Valle de Invent. confect. l. 3. §. 1. n. 2. & seq. Sichard. ad l. fin. C. de jure delib. & Vultej. in comm. Instit. ad tit. de hered. qual. & diff. §. 6. n. 6. Sed Nos communem ut veriorem, quod trimestre tempus à die delata hereditatis, quod alii scientiæ vocant, numerandum sit, probamus atque defendimus per l. ult. §. dubius, ibi, ut intra 30. dies post apertas tabulas vel postquam nota ei fuerit apertura tabularum testamenti, vel (si intestatus decesserit defunctus) delatam sibi ab intestato hereditatem cognoverit, numerandos, exordium capiat inventarium. conf. Odofredus in d. auth. sed cum testator. Fachinæus 4. controv. 35. Gail. 1. obs. 124. & 2. obs. 19. n. 15. Magn. Dn. Vice-Præs. Mevius in jdict. Summ. Trib. Wismar. p. 2. decis. 356. n. 3. Carpzov. Jurispr. forens. 3. c. 33. def. 13. Hoe-non. controversial. illust. 10. b. 4. Dn. Struvius exerc. 33. Synt. jur. univ. b. 54. Treut. 2. D. 12. b. 8. Manzius in comment. inst. ratio-regul. ad §. 6. j. de hered. qualit. & diff. n. 7. quo & demum inclinare videtur Bachov ad Treutl. all. loc.

XXII. Sed si heres inventarium non legitimo tempore inchoaverit, legali tamen perfecerit, num formæ à lege fin. C. de jure delib. præscriptæ paruisse dicen-

dicendus? Affirmat Bachov. 2. D. 12. §. 8. lit. a. & re.
 Etè, quia illi tres menses in favorem heredis sunt introducti, unde totum illud spaciū in illius arbitrio possum esse debet. Rol. à Valle d. l. p. 3. §. 6. sic pluribus terminis circa idem statutis, mora quæ committitur in uno termino purgari potest in alio. l. ad peremptorium. ff. de jud. Auth. qui semel. C. quomodo & quando Jud. Et quod non fit in principio, fieri potest in fine, durante scilicet dilatione. §. temporales. Inst. de Except. consentiunt Roland d. l. §. 6. & 10. Rittersh. d. l. n. 42. Wiesenbach. 1. Disp. 57. §. 17. Wesenb. in not. ad Schneid. ad §. 5. J. de hered. qual. & diff. Dn. Brunnemann. ad d. l. fin. C. de jure delib. & in Repetit. Wesenb. eod. q. 9.

XXIII. Interim illud tempus à Judice prologari vel abbreviari non potuisse de jure tenendum, est: cum termino legali omnino standum secundum text. l. fin. §. donec. C. de jure delib. ibid. Sichard. Deinde certum est, quod Judex factum legis ex suo arbitrio revocare nequeat. l. i. §. item cum contra. ff. quæ sent. sine app. resc. Denique Judex non potest abbreviare vel prolongare tempus in actu per eum non expediendo qualis est confectio inventarii. Bald. in l. 1. ff. de re jud. Roland à Valle d. l. p. 3. §. 11. Monticul. de invent. hered. c. 8. n. 61. Gudelin. de jure noviss. 2. c. 18. n. 13. Solet tamen moribus Magistratus aliquando prorogationem legitimi istius temporis petentibus ob justas causas concedere. post Giphan. ad l. ult. C. de jure delib. Rittershus. d. c. 8. n. 41. Mejer Coll. f. A. lib. 29. tit. 2. §. 32. Matth. Stephani ad Novell. 1. n. 35. circa fin. Hahn. de jure delib. Richter decif. 59. n. 5. & addict. Auth. sed cum testator. n. 71. Minus dubium est, quin statutis tempus illud legale conficiendi inventarii abbreviari possit, prout vi-

C
dere

dere est apud Paul. Voct. ad §. 5. Instit. de hered. qualit.
& diff. n. 5.

XXIV. Inventario conscribendo conficiendoq; Personæ certæ quoque adesse & adhiberi debent, inter quas meritò primo loco censetur Tabellio seu Notarius publicus, qui inventarium scribat, modò specialiter ad hoc rogatus sit, Roland à Valle d. l. p. 3. §. 35. item requiritur, &c. sicut ad pleraq; alia quæ ad officium Notarii pertinent conficienda rogarri sive requiri debet, post Rittersh. d. l. n. 8. Richter d. l. n. 73. De substantia enim inventarii est, ut scribatur publici Notarii manu, Roland à Valle d. l. 3. p. 3. §. quia de substantia. Sufficit autem unus, prout aliás ad unum actum unus Notarius sufficere soleat. Matth. Steph. ad Nov. 1. n. 36. Zoes. de jure delib. n. 7. Bachov. ad Tr. 2. D. 12. θ. 8. lit. e. nec adversantur verba §. 2. l. fin. C. de jure delib. ibi, sub presentia Tabulariorum & Nov. 1. c. 2. §. 1. ibi, Tabularius enim solis. Quia Imperator casus ibi respicit in futurum quam plurimos. Bacch. d. l. Wissenb. d. l. θ. 18. Interim quod diximus unum sufficere Notarium, intelligimus, nisi ob aliam justam causam praeter Notarium, qui inventarium scribit, alias & specialis adhibendus sit, puta si heres ignarus sit literarum aut alia causa scribere praepediatur. §. 2. d. l. fin. C. de jur. delib. ibi, Sichardus d. l. n. 18. Dissentit post Boerum & Donell. Mejer in C. J. A. alleg. θ. 32. item Scotan. in Exam. Jurid. tit. de jur. delib. q. 10. n. 2.

XXV. Deinde praeter Notarium praesentes esse debent Legatarii & Fideicommissarii nec non Creditores hereditarii, imo omnes quorum interest, ut legitimè inventarium conficiatur. §. 2. l. fin. C. de jure delib. Auth. sed cum testator. C. ad L. Falcid. Mejer in C. J. A. d. l.

d. l. Citandi itaque sunt omnes & singuli & quidem Creditores si certi sunt, citatio nominatim & specia-
liter, si verò incerti, voce præconis vel per procla-
mata seu edicta publica, prout in loco moris est, fieri
debet. Roland d. l. p. 3. §. 1. Guid. P. de inv. conf. form. n. 3.
Anton. Fab. in Cod. Sabaud. 6. tit. 11. def. 26. Sichard. ad
d. l. fin. Absentium ut & si personarum ratio haben-
da, e. g. si illustres sint, nec non si verecundia sexus
vel necessitas impedimento est, quo minus se præsen-
tare possint, harum Personarum Procuratores & Man-
datarii. §. 3. l. fin. C. de jure deliber. d. Auth. sed cum testator.
Nov. 1. c. 2. Rittersh. d. l. n. 8. Mejer in C. J. A. d. l. Rich-
ter decis. 59. n. 7. Furiosorum & Minorum Curatores,
Infantum verò & Pupillorum Tutores, si quosdam
habeant, si non habeant Tutores, Amici & Cognati ci-
tari debent. Roland d. l. p. 3. §. quid si unus. n. 4. & §. seq.
num. 2.

XXVI. Et quamvis de Creditoribus heredi-
tariis dubitari posset, cùm nullibi horum expressè,
sicuti legatariorum & fideicommissariorum, mentio
fit? minimè tamen excluduntur, ut potius Impera-
tor tacitè includere eos voluerit. c. 2. Nov. 1. ibi, ut opor-
teat hujusmodi heredem, qui non creditorem solum, sed etiam
legatarios veretur & metuit non damnificari solum. &c. Si qui-
dem quoad alias effectus necessariò vocandi sunt,
not. Gloß. ad §. 1. Nov. 1. prout alias & ipsa ratio suadet,
quod nim: quando de damno alicujus agitur, res eo
absente non poscit nec debeat confici. l. nam ita. ff. de
adopt. Creditores autem certant de damno vitando,
E. Major quoque eorum quām legatariorum favor
est, nam hi certant de lucro. post Bacch. d. disp. 12. th. 8.
c. vs. presentibus legatariis. Richter ad d. Auth. sed cum te-

C 2 stator

stator. num. 79. Magnif. Dn. Vice-Præf. Mevius allegat.
2. Decis. 356. n. 4. & 20.

XXVII. Denique requiruntur Testes. §. 2. d. l.
fin. ibi, testibus videlicet adsumendis. Vultej. d. l. n. 6. ad mi-
nimum duo: Nam si aliud lege cautum non reperi-
tur, pluralis numerus duobus est contentus. l. ubi nu-
merus. ff. de testibus. His non solum res hereditariæ
inspiciendæ offerri. Schneidw. ad §. 5. Inst. de hered. qua-
lit. & diff. n. 13. vs. quinto. sed & testes adhibiti cogno-
scere debent heredem. d. §. 2. d. l. fin. ibi, qui cognoscunt
heredem. & Roland d. l. p. 3. §. Requiritur & pariter. quod
tanquam speciale in inventario notat Schneidw. d. l.
vs. sexto. cum in aliis instrumentis, quando testes ad-
hibentur, non requiratur, ut testes contrahentes co-
gnoscant. Si autem illi, ad quos res pertinet, Lega-
tarii sc. Fideicommissarii & Creditores vel omnes vel
aliqui absint peregrè, eorum loco tres ejusdem civi-
tatis testes, viri bonis eu integræ opinionis & locu-
plete (pauperes enim facile lucri causa quid admit-
tunt) adhibendi sunt. §. 1. c. 2. Nov. 1. & auth. sed cum te-
stator. C. ad L. Falc. Et quidem præter duos supra nomi-
natos testes, hi tres alii Creditorum loco, quod jure
Novell. introductum est, adhiberi debent, Roland à
Valle d. l. p. 3. §. in ipso quoque. Schneidw. d. l. vs. quinto.
Monticul. de invent. hered. c. 8. n. 2. secus ac Matth. Ste-
phani ad Nov. 1. n. 37. & 44. existimavit, quem secutus
est Richter d. l. n. 82. qui si nulli sunt creditores vel le-
gatarii, solo Tabellione absque testibus inventari-
um jure Codicis confici potuisse crediderunt contra
text. §. 2. d. l. fin. Quò & doctissimus cœteroquin,
Rittershusius d. l. n. 8. in fin. inclinare videtur, quan-
do præter Notarium, si modò illi, quorum interest,
præsentes sint, nullos requirit testes.

XXVIII.



XXVIII. Testes verò locupletes, prout posit. præc. diximus, quando creditorum hereditariorum loco requiruntur, meritò quæritur, qui pro locupletibus habendi sint? *Glossa ad Nov. i.* quidem, quod pro talibus habendi sint, qui tantum possident, quantum est id, super quo in testimonium adhibeantur. *arg. l. 134. §. Pauperes. ff. de verb. sign.* Verùm improbat hanc opinionem post Sichard. *ad l. fin. C. de jure liber.* Richterus *d. l.* & putat sufficere, si bonam habeat substantiam, licet non exæquet ei, super quo testimonium ferre debeant. Nos potius cum Mejero *in C. J. A. d. l.* arbitrio judicis committimus, qui locupletes in præsenti materia habendi sunt testes. *arg. l. i. §. 2. ff. de jure delib.*

XXIX. Sequitur modus conficiendi inventarium, ad quem (i) referimus, quod omnes res, quæ in hereditate reperiuntur tam corporales, quam incorporales, ut jura & actiones, mobiles, immobiles. *Porcellin. de Invent. c. 3. n. 3.* Roland à Valle *d. l. p. 3. §. de forma. & §. seq.* Schneidw. *ad §. 6. Instit. de hered. qualit. & diff. n. 13.* & quidem accuratè inseri debeant per pondus, numerum, mensuram, qualitatem & quantitatem, ne fraus ulla fieri queat. *Ant. Fab. in Cod. Sabaud. 6. tit. ii. defin. 25.* Nec tantum res propriæ, sed & alienæ in hereditate repertæ inventario inserendæ sunt, ut depositæ, commodatæ, pignori datæ, precariæ, quia hæ res petitione hereditatis veniunt. *l. 19. ff. de petit. hered.* & licet tales res non sint in bonis, sunt tamen ex bonis. *l. 2. §. in hac actione. ff. de vi bon. rapt.* Francisc. Marci *decis. 878.* Roland à Valle *d. l. p. 3. §. ponenda & aliquot. præced. §§.* Mejer *in C. J. A. d. l. th. 31.* Quod verò Dd. volunt, quod res omnes per peritos viros

C 3

mutuo

mutuo consensu heredis & creditorum &c. eligendos aestimari debeant, post Valascum Tom. 1. Consult. §2. n. 23. A. Fabrum 2. de Error. pract. 2. Hillig. Don. Encl. 7. c. 3. lit. K. meritò nobis displicet: quia ne apex quidam, unde aestimationis necessitas colligi possit, in LL. de inventario constitutis reperiatur. Emin. Dn. Vicepræf. Mevius d. l. 2. Dec. 356. n. 29.

XXX. Sed an fructus & aliæ accessiones, quæ post mortem testatoris perceptæ sunt, in inventario describi debeant? controvertitur: Corasius tr. de invent. num. 23. contra Dd. communiter affirmat, nec movet, inquit, quod eadem non fuerunt in potestate defuncti, nam legis interpretatione defunctus eos quoque fructus habuisse censetur. Adstipulatur Hillig. in Donell. Encl. d. loc. Angelus verò & Jason in §. 1. l. fin. C. de jure delib. simpliciter negant, si Corasio fides habenda, nec non Sichardo ad §. fin autem dubius d. l. fin. & Goddæ: 1. Diss. ad ff. 20. tb. 19. Nos potius cum Monticulo de inventario c. 7. n. 10. & seqq. distinguimus inter Creditores, Legatarios & Fideicommissarios, & quantum ad Creditores vel Fideicommissarios, cum fructus etiam post mortem quæsiti Creditoribus debeantur, fructibusq; hereditas augeatur, & in quartam Trebellianicam imputentur, l. 18. ad Trebell. omnino affirmamus. Quantum verò ad Legatarios, non aliter, quam quanto in Falcidiam imputari debent. Monticulus d. l. consentit Mejer. in C. J. A. d. l. tb. 31. in fin. Bacch. ad Treutl. 2. D. 12. tb. 8. lit. F.

XXXI. Quod si verò heres quasdam res omisit, nec inventario inseruit, non statim beneficio inventarii priyandus est, sed spectandum meritò, num negli-

negligentiâ, errore & citra fraudem hoc factum sit,
 an dolo & malâ fide, animo defraudandi, celandi &
 surripiendi: Animus enim distinguit maleficia, l. 53.
 ff. de furt. Et priori casu inventarii beneficium non
 amittit, nec ullum incurrit heres damnum, cùm justa
 ignorantia nemini nociva esse debeat, §. 10. Inst. de
 mandato. & quod bonâ fide fit, pœnam non meretur.
 l. quamvis. 32. ff. de Condit. & Demonstr. l. 71. ff. de A. H.
 Posteriori casu, si dolo malo res quasdam omiserit,
 ac non inseruerit heres, jure ff. in re subtracta falcidi-
 diam tantùm amittebat, l. beneficio. ff. ad l. falc. l. Paulus
 respondet. ff. ad SCt. Trebell. jure Codicis in duplum rei
 surreptæ vel celatæ heres tenetur, non verò oneribus
 hereditariis obligatur in solidum, nec perdit falcidi-
 am, §. 10. licentia. l. fin. C. de jure delib. quod & mutatum
 non est jure Novellarum, ut nonnulli & communiter
 Dd. volunt, cum primis Anton. Faber. 2. Error. pragm.
 5. Fachin. 4. controvers. 37. Matth. Stephan. ad Nov. 1.
 n. 44. Richter d. l. n. 119. ut rectè ostendit Bacchov.
 ad Treutl. d. l. versu, si quid horum omissum &c. Nam non
 debet quisquam graviùs puniri, quām deliquit, pœ-
 na debet esse delicto proportionata, l. 6. ff. de his, quæ
 ut indign. iniqvum autem sit, constat, heredem ob
 modicæ forsitan rei subtractionem toto lucro privari,
 & onera hereditaria in solidum sufferre, Wissenbach.
 l. Diss. ff. 57. tb. 19. & hanc sententiam probat quoque
 Dn. Brunnemannus, Fautor meus ac olim Doctor
 omni honoris cultu prosequendus, in Comm. Cod. ad l.
 fin. C. de jure delib. vid. & Hillig. Donell. Enycl. 7. c. 3. ibi quæ
 in not. circa lit. O. ubi pœnam dupli nim. præstationem,
 eleganter explicat.

XXXII. Protestationem, quâ Heres testificari debeat,

debeat, quod nullam fraudem in toto confiendo inventario adhibuerit, omnes & singulas res fideliter indicaverit atque descripscerit, quas cunque sciverit, fuisse defuncti, & si quae forte res per ignorantiam fuerint omissæ, quas deinceps contigerit reperiri, paratum se quovis tempore adjicere jam descriptis, quamprimum ad suam pervenerint notitiam &c. non necessariam cum Giphanio *ad l. fin.* putamus, quia non à jure præscripta est; quatenus vero consuetudine receptum ut adjiciatur, & prout aliæ non nocere soleant, quæ abundant, cum communi Dd. Scholâ eam admittimus, Rittersh. *d. l. n. 11.* Schneidw. *ad §. 5. J. de hered. qual. n. 15.* Matth. Stephani *d. l. n. 38.* Richter *d. l. n. 118.* candidum enim animum heredis & innocentiam declarat, teste Eminentissimo Dn. Mevio *2. Decis. 356. n. 27.*

XXXIII. Deinde ad modum referenda est subscriptio heredis, sive heredum, si plures sint, & quidem manu propriâ subscriptio fieri debet, quâ totam suam facit scripturam; Montic. *d. tract. c. 8. n. 56. & 57.* Mejer *in Colleg. J. A. d. lib. & tit. tb. 32.* Si autem forte heres literas nesciat, vel aliâ justâ causâ impediatur, adhiberi debet alius peculiaris Tabellio seu Notarius, qui pro herede subscribat, dum tamen heres suâ manu venerabile signum crucis, religionis scilicet causâ, ad excludendam omnem fraudem ac falsitatem, præponat. *§. 2. d. l. fin. C. de jure delib.* Mejer *in C. J. A. d. l.* Testes subscribere non tenentur, nullibi enim reperitur, quod testes inventarium subscribere debeant, modò sint scripti & nominati a Notario. Monticul. *d. l. n. 57. in fin.*

XXXIV.

XXXIV. Denique Signum crucis venerabilis apponendum est & quidem manu heredis, non tantum illiterati, in casu de quo in pos. præced. si scribere nequeat, sed & literati & characteres formare scientis §. 2. l. fin. C. de jure delib. quod secundum Monticul. dict. c. 8. n. 36. maximam æquitatem & intuitum divini Numinis, quoniam heres reminiscens hujus crucis nihil perperam aut dolosè facere audebit. Montic. d. l. Sed an omissio signi venerabilis vitiet inventarium & altioris indaginis quæstio est; Communiter & ferè quotquot videre contigit, negant: pro leviori enim & extrinseca solemnitate appositionem crucis habent, cujus omissio actum non vitiare credunt.. post Bartol. Bald. Cynum Jasonem. Zoes. ff. de jure delib. n. 10. Roland à Valle d. l. p. 3. in princ. Bacchov. ad Treult. d. l. th. 8. Dn. Tabor. in not. ad C. J. A. d. l. th. 32. in fin. Richter ad Auth. sed cum testator. C. ad L. Falc. n. 91. Verùm cum adjectionem signi venerabilis crucis in d. l. fin. Imperator haud secus ac alias solennitates requirere videatur, utique non minus ex ratione juris civilis internam ac essentialē cum Saliceto ad §. 2. d. l. fin. dicimus solemnitatem signi crucis appositionem ac reliquas, quarum in d. l. fin. mentio fit. Ad stipulatur Angelus tract. de inventario n. 19. Franc. Porcell. de invent. c. 2. n. 6. Si verò de moribus hoc intelligere, velint, facilè concedimus, quod non sit necessaria crucis appositio, hujusve omissio inventarium non vitiat, maximè cum constat omnes illas prædictas solennitates juris civilis in confiendo inventario tam strictè non observari, sed hanc in re magis dominari cuiusvis loci consuetudinem. post Myns. & Schneidwin. ad §. 5. Instit. de hered. qualit. & diff. n. 17. Rittershus.

D

ad

ad Nov. p. 6. c. 8. n. 10. Mejer in C. J. A. lib. 33. in pr. Richter ad d. Auth. n. 93. Hahn. Obs. Wesenb. tit. de jure delib. Magnif. Dn. Vice-Præs. Mevius in allegat. p. 2. decis. 356. per tot. ubi more suo eleganter hac de re egit, & demum circa n. 14. addit, scimus in Pomerania non amplius observari ea omnia, quæ constitutio Justinianea exigit, sed pro inventario sufficere descriptionem bonorum à Notario præsentibus testibus factam ob instrumentum publicum redactam, cœptam & finitam eo tempore, quo primum facere licuit non vocatis legatariis & creditoribus, & sufficit hodie secundum patriæ morem inventaria conscribi. Ernest. Cothmann. vol. 4. Rep. 39. n. 74.

XXXV. Sequitur jam, ad quid inventarium conficiendum, seu qui effectus inventarii legitimè confessi? Alii plures alii pauciores recensent, prout videre est apud Roland à Valle *de inventar. confess. p. 4. per tot. Montic. de Invent. hered. c. 10. per tot. Richter d. l. n. 69. seqq. Rittersh. d. l. n. 17. & seqq. Zoes. ff. de jure delib. n. 11. seqq. Peretz. in Cod. tit. de jure delib. n. 11. Mejer in C. J. A. d. l. lib. 33.* Nobis potiores adducere sufficiat.

XXXVI. Primus effectus est, quod heres statim citra periculum & damnum hereditatem adire, queat, i. e. ultra vires hereditatis non teneatur. Roland à Valle *d. l. p. 4. in pr. atque à se avertat iniquam juris præsumptionem, quā heres non conficiens inventarium res quasdam subtraxisse videatur. §. 4. l. fin. C. de jure delib. Fachin. lib. 6. c. 20. Hillig. D. E. 7. c. 3. lit. m. Montic. d. l. de invent. hered. c. 10. n. 1. ubi quasdam tamen exceptiones addidit, Rittersh. d. l. n. 96.*

XXXVII. Secundus Effectus est Detractio Fal-
cidiæ, i. e. quod possit heres deducere falcidiæ ex
legatis,

legatis, quibus gravatus est, quamvis hereditas solvendo non sit. §. 4. l. fin. Nov. 1. §. pen. Porcellin. d. l. c. 4. n. 1. Montic. c. 10. n. 4. Sichard. ad d. l. fin. Schneidwin. ad §. 6. Instit. de hered. qual. & diff. Rittersh. d. c. 8. n. 21. Mejer in C. J. A. d. l. th. 33.

XXXVIII. Tertius effectus est, quod heres primo venientibus, sibiq; ut dicitur, vigilantibus creditoribus, imo Legatariis ante creditores tardius venientes, salvo tamen cuiusvis creditoris jure contra Legatarios vel posteriores Creditores, quibus minus juris est, solvere queat, ita ut reliquis postea venientibus potioribus non teneatur, quando in bonis defuncti nihil amplius superest. d. §. 4. d. l. Porcell. d. c. 4. n. 2. Quod tamen nonnulli obtinere putant, quando bona fide solverit heres, Porcell. ibid. secus verò, si sciverit creditores esse & legatariis nihilominus solverit, vel creditores aliis potiores existere & cautionem non exegerit: cum dolosè egisse censeatur. l. dolo. ff. ad L. falc. Sichard. ad l. fin. §. 4. n. 6. Quod æquum quidem videtur, verum num de jure heres potiores creditores expectare vel post l. fin. C. de jure delib. cautionem exigere præcisè teneatur? alia est quaestio, quam tamen cum Baldo, Hillig. D. E. cit. loc. in not. lit. p. & Dn. Tabore in aureis ad C. J. A. notis ad d. l. th. 34. n. 7. negamus.

XXXIX. Quartus effectus est, quod in arbitrio heredis sit, res hereditarias, vel iis venditis pretium solvere. Peretz in Cod. de jure delib. n. 11. Montic. de invent. hered. c. 10. n. 8. contra regulam, quod aliud pro alio invito creditori solvi nequeat. l. 2. in princ. ff. si cert. pet. si scilicet pecunia non reperiatur, unde creditoribus solvi possit. Sichard. ad d. l. fin. nam si adhuc pecunia extet

vel res emptorem inveniat, heres illam potestatem non habet. *Auth.* *Hoc nis. C. de solut.* Peretz d. l. Schnidwin. d. l. n. 29. Rittersh. d. l. n. 26.

XL. Quintus effectus est, quod per legitimū conficiendi inventarii tempus, neq; legatarii neq; creditores heredem inquietare, imò ne quidē in rem actione convenire possint. Fachin. 6. *controv.* 27. Richter *decis.* 59. n: 1. l. *fin.* §. 11. *C. de jure del.* Inventarium enim loco juris deliberandi censetur, & heres deliberans conveniri nequit. *l. cum antiquioribus.* *C. de jure del.* imo heres non tenetur respondere nec litem contestari, si libello excipit. Montic. *de invent. ber.* c. 10. n. 20. Hartman. Hartm. *Obs. pract.* 2. *Tit.* 41. *O. 2.n. 17.* Interim creditoribus & legatariis actiones, quæ forte temporales sint, nec pereunt inter illas moras vel non præscribuntur per express. text. d. §. 11. l. *fin.* post Rittershus. d. l. n. 24. Mejer in *C. J. A. d. l. n. 8.*

XLI. Sextus effectus est: quod heres ab omni damno securus sit, & respectu damni habeatur, quasi nunquam hereditatem adiisset, Roland à Valle d. l. p. 4. *in princ.* n. 2. Montic. d. l. c. 10. n. 1. hinc retinere & imputare creditoribus & legatariis potest, quicquid in funus impendit, item impensas in curationem ægroti: Hæ enim pari jure cum præcedentibus censetur. Johann. Sichard. *ad §. 9.d. l. fin.* nec non quicquid in testamenti insinuationem, inventarii confirmationem vel in alias necessarias hereditatis causas persolvisse probaverit §. 9. d. l. *fin.* & *ibid.* Dd. Hillig. d. l. lit. O. item Montic. d. c. 10. n. 9. Roland à Valle p. 4. §. alia & quinta &c. & seq. §. item istud etiam &c. Rittershus. d. l. n. 8. Rauchbar. p. 1. q. 29. n. 15. Scotan. *in exam. jur. tit.* *de jure delib.* q. 12. n. 6.

XLII.

XLII. Septimus effectus est: quod quamvis regulariter confundantur aditione hereditatis, actiones & obligationes, quae competit heredi contra defunctum l. debitori. 7. C. de pact. quando scil: creditoris & debitoris persona in idem individuum concurrit, quod natura non patitur l. 75. l. 95. §. aditio ff. de solut. Hoc tamen non fit, si inventarium legitimè ab herede confessum est. Monticul. d. cap. n. 11. sed evitatur confusio obligationum hereditariorum, & omnes actiones, quas heres contra defunctum habet, retinet salvas atq; intentare potest, cum par ipsi cum aliis creditoribus conditio est, temporis tamen prærogativa inter creditores servanda. l. fin. §. in computatione. C. de jure del. Roland d.l.p. 4. §. Decima utilitas. Bicc. rer. quotid. sect. 3. th. 105. Ratio, cur actiones non confundantur, est, quia si per aditionem cum inventario factam extingveretur heredis obligatio, noceret heredi inventarium, quod tamen in ejus favorem introductum est. Mejer in C. J. A. lib. 29. tit. 2. n. 34. sic confessio inventarii facit, ut hereditas pro jacente habeatur, Roland. d. l. & sicuti hæc tenetur heredi, l. ut debitum. C. de hered. act. ita quoque hereditas adita cum inventario. Porcellin. tract. de invent. c. 4. n. 7. & eleganter Rittershus. d. c. 8. n. 22. Giphan. ad d. l. fin. §. sin autem. Vultej. 2. J. Rom. c. 17.

XLIII. Octavus effectus est, quod beneficio inventarii jus hypothecæ, quod Creditor habet in rebus hereditariis, minuatur vel planè extinguatur; Nam si heres confessio inventario alicui rem hereditariam Creditori oppignoratam vendiderit, ut inde solvat Creditoriibus vel Legatariis, à quibus solutio urgebatur, Emptor hujus rei licet oppignoratae, ple-

D 3 nam

nam habet securitatem adversus Creditorem hypothecarium, qui pignoris sui jure, ut non adversus heredem, §. 7. d. l. fin. ita quoque nec adversus Emptorem uti nequit. §. 8. d. l. fin. C. de jure delib. Mejer in C. J. A. d. l. th. 34. n. 4. Giphanius ad §. fin autem. all. l. fin. pag. m. 93.

X L I V. Nonus effectus est, quod damnum contingens in rebus hereditariis confecto inventario ad heredem non spectet: sine periculo enim heres habeat hereditatem, si inventarium legitimè fecerit. §. 4. d. l. fin. Olim quidem si bona hereditaria tempore mortis sufficientia fuerunt, & posteà peribant, istud cedebat periculo heredis, sicuti, si augebatur, Falcidia nihilominus detrahi potuit. §. 3. J. ad l. Falc. l. 30. pr. ff. eod. Introductio autem Inventarii beneficio hoc secus est. Castren. ad d. §. cit. l. fin. Bartol. ad alleg. l. 30. §. 2. Et perinde est, sive interitus ante sive post hereditatis aditionem contigerit; Heres enim est Debitor quantitatis, respectu certæ speciei, id est, propter res hereditarias & earum respectu; Debitor autem quantitatis respectu, interitu ipsius speciei, ante moram liberatur. Goedd. de contrab. stipulat. c. 11. n. 79. & seq. Idem ad l. 12. §. 1. de verb. sign. vid. Everhard. Bronch. cent. 1. assert. 74. Fachin. 2. Controv. 71. & 6. Controv. 30. Hoen. Disp. 10. th. 8. Dissentit alias Roland. à Valle de invent. confect. p. 4. §. Sexta est utilitas.

X L V. Decimus effectus est, quod propter confessum inventarium securus sit heres ab injuriā corporali, respectu hereditatis cum inventario aditae, ita ut propter debita hereditaria; etsi vel maximè statutum vel consuetudo vigeat, quod Debitor ad petitio- nem Creditoris carcerari queat, incarcerari non pos- sit.

sit. Monticul. d. l. c. 10. n. 33. Roland. d. l. p. 4. §. Septima est utilitas. Nec mirum, quia, si inventarium ipsum eximit à damno rerum suarum, multò magis ab injuria corporali. Quod tamen (1) limitatur, si heres ipse se obligavit. Corneus lib. 3. Cons. 31. (2) Si heres moram fecerit, & damnum inde senserint Creditores, tunc enim ex morâ & culpâ, haud secùs ac alias ex contractu suo tenetur. Montic. & Roland. dd. ll.

XLVI. Plures alii adhuc sunt legitimè confecti inventarii effectus; Quòd nimirum Heredi cum inventario juramentum in litem non deferatur, etsi moram faciat. §. 14. in fin. d. l. fin. Corvin. in Enchir. tit. de hered. qual. & differ. q. antepen. Item, quòd heres & simul Creditor Chyrographarius, si inventarium fecerit, hypothecario aliquando præferatur. Mont. c. 10. n. 47. Nec non quòd Creditoribus vel Legatariis evictiōnem non præstet Heres. Montic. d. l. n. 60. Item quòd impedit, ne Uxor Defuncti maneat in possessione domus & rerum Mariti, pro conservatione dotis suæ. Montic. d. l. n. 60. Quos omnes persequi nimis prolixum foret, possunt videri Georg. Obrechtus in Disp. Jur. Civ. de invent. tb. 573. & seqq. Monticul. d. c. 10. & Dd. suprà tb. 35. citati.

XLVII. Superest neglecti inventarii pœna; Priùs verò quam ad eam transitum faciamus, tanquam observatione dignum hīc notamus; Quòd jus deliberandi ab Imperatore nostro per beneficium Inventarii sublatum non sit, & probamus hoc, cum per §. 5. Inst. de hered. qual. & differ. circa fin. ibi. nisi omissâ observatione nostræ constitutionis, & deliberandum existimaverint, & sese veteri gravamini aditionis supponere maluerint, & per §. 14. l. fin. C. de jure delib. ibi.
electio.

electionem ei damus, vel nostram constitutionem eli-
gere & ejus beneficium sentire: vel si eam aspernan-
dam existimaverit, & ad deliberationis auxilium
convolaverit, ejus effectum habere. & porrò ibi. Et
sibi imputet, qui pro novo beneficio vetus elegerit,
gravamen &c. tum quòd non ita introducantur nova
remedia, ut per ea statim tollantur antiqua, Mantzius
Comment. Instit. ratio-regul. ad alleg. §. 5. n. 18. ut potius
hac ratione arbitrio heredum relictum sit, num suo
periculo spatum deliberandi petere, an inventarium
confiscere velint. Ludwell. *ad d. §. 5. n. 2.* Harprecht.
ad §. 6. n. 1. Invito enim beneficium non datur. *l. in-*
vito. ff. de R. 7. Et quilibet favori pro se introducto
potest renunciare. *l. pen. C. de pactis.* Rittershus. *d. l.*
n. 2. & 18. Donell. *7. Commentar. c. 10.* Goeddæus *2. Disp.*
20. tb. 21. Richterius *ad d. l. auth. n. 57.* Peretz. *in Cod. tit.*
de jure delib. n. 17. Et quamvis melius sit, ex inventa-
rio hereditatem adire, quam mediante deliberatione,
minimè tamen pro inutili planè seu supervacuo bene-
ficium deliberandi post introductum remedium in-
ventarii hodiè haberi debet, cum quia magni sumptus
impendendi honorariis & alimentis in Tabularios &
testes, tum quòd expediatur sàpè tegi defuncti faculta-
tes. Hillig. *Donell. Encl. 7. c. 3. lit. P.* Ludwell. *d. l.*
Imò utile aliquando heredi sit, si nimirum intra tres
menses inventarium confiscere neglexerit, cùm pro-
ductiora omnino sunt deliberationis tempora, quam
Inventarii, ut rectè asserit Treutl. *2. Disp. 12. tb. 7. lit.*
A. Secùs ac post Bachov. *ad Treutl. d. l. vers. sed videri*
posset. &c. existimaverit Ludwell. *ad Wesenb. ad tit. de*
jure delib. n. 6.

XLVIII.

XLVIII. Pœna autem heredis non facientis vel negligentis facere inventarium in genere est, quod omnia legitimè confecti inventarii commoda, quorum suprà mentionem fecimus, amittat; in specie vero, quod, etiamsi exiguus sit census hereditatis, §. 14. d. l. fin. C. de jur. delib. omnibus Creditoribus hereditariis in solidum etiam ultra substantiam hereditatis teneatur, Nov. 1. c. 2. §. 2. eo modo, quo jure veteri post aditionem. d. l. fin. §. 12. Opulenta enim præsumitur hereditas, & sibi debet imputare, quod ejusmodi oneri se subjacerit omittendo inventarium. Peretz. in Cod. de jure delib. n. 12. Sic indignus quoque legis beneficio, qui requisita per legem negligit, ita ut non audiendus sit, probare volens amplius in hereditate, non fuisse. Manzius & Vultej. ad §. extraneis. Inst. de hered. qual. & differ. n. 8. Zœf. ff. de jure delib. n. 12. Frustra, ut cuivis patet, dissentiente Hilligero in Don. Encl. 7. c. 3. in not. lit. Q. ubi putat, quod non conferto inventario omnibus Creditoribus teneatur heres, pœnæ non esse adscribendum.

X L I X. Interim tamen, quod diximus, fallit.
 (1) Si testator remiserit Heredi inventarii confirmationem, quod facere omnino potest, non quidem in præjudicium Creditorum: ne testatoris facto iis inferratur injuria l. 25. C. de pact. sed quantum attinet ad Legatarios & Fideicommissarios, ut habet communis Dd. opinio, vid. Wissenb. 1. Disp. ff. 58. tb. fin. Matth. Steph. ad Novell. 1. n. 44. us. pro conclusione &c. Hillig. Donell Encl. lib. 7. c. 3. s. & ibid. allegat. Dd. cum quia testator potuit legata & fideicomissa non relinquere & relictum etiam adimere, ergo multo magis præjudicare ipsis legatariis, Fachinæus lib. 6. controv. 25. Zœf.

E

ad ff.

ad ff. de jure delib. n. 23. tum quia inventarii confeccio
in favorem ultimæ voluntatis inducta fuit, cui libe-
rum est renunciare *l. per. C. de pact.* Roland à Valle *de*
invent. confect. part. ult. §. an testator. Peretz in *Cod. de jure*
delib. n. 18. Hoenon. *disput. ad inst. 10. controv. 7.* Fallit.
(2) si ipsi creditores confessi sunt hereditatem non-
esse solvendo, quæ confessio planè facit, ut heres
non teneatur ultra vires hereditarias. Sichard. *ad l. fin.*
C. de jure deliber. Zoes. *d. l. n. 25.* Peretz *d. l. n. 12.* (3) Si
constet defunctum bonis cessisse, nam heres, qui bo-
nis cescit, omisso inventario tenetur tantum pro viri-
bus bonorum ejus cui successit, cum non debeat tene-
ri in plus quam tenebatur defunctus. Zoes. *d. l. n. 21.*
(4) Quando heres dolo. inductus hereditatem adi-
vit. *l. fin.* ubi Baldus *ff. de dolo.* Monticul. *de inventar. he-*
red. cap. 5. n. 50. (5) Ubi aliud consuetudine introdu-
ctum ut in Saxonia, teste Wesenbec. parat. *ff. de jure*
delib. n. fin. ibi q; Ludwell. *in not.* & Carpzov. *Jurisp. fo-*
ren. p. 3. c. 33. def. 18. n. 6. cum ibid. allegat. Dd. vid. etiam
Joh. Koppen. *lib. 1. observ. 131. num. 11.* & Henn. Goden.
consil. 15. n. 18. de success. feud. ubi expressè decidit, *jure*
Saxonico non teneri heredem ad confectionem in-
ventarii, & probat istiusmodi consuetudinem valere
ex doctrina Baldi in l. 7. ff. de admin. tut. Confeccio e-
nigm inventarii non est juris naturæ vel gentium, sed
juris positivi. Montic. *de invent. hered. c. 3. n. 1.* ideo q;
statuto vel consuetudine remitti potest. Montic. *d. l.*
n. 11. Conr. Sleif. *in N. illust. ad Wesenb. par. tit. de jure de-*
liber. ad n. 6.

L. Secundo, licet olim ante introductum inven-
tarii beneficium heres legatariis & fideicommissariis
non nisi usque ad vires hereditatis teneretur, hodie
tamen

tamen non confecto inventario Falcidiā amittit & in-
tegra legata & fideicomissa præstare tenetur, frustra
allegans in hereditate nihil esse. *Nov. i. c. 2. §. 2. Autb. sed*
cum Testator. C. ad L. Falcid. cum quod per legem præ-
sumatur hereditatem fuisse sufficientem exsolvendo
æri alieno & legatis fideicommissisq; præstandis, quia
nemo creditur temerè, non inspectis hereditatis viri-
bus eam adire aut ei se immiscere. *d. §. 2. & auth. tum*
propter præsumptam fraudem & malitiam, quasi he-
res omisso inventario tantum subtraxit, quantum
valeat Falcidia. *Gail. 2. Obs. 138. n. 1. Mynsing. ad §. sed*
nostra. Inst. de hered. qual. & diff. n. 22. Dn. Brunneman-
nus & Richterus ad alleg. Autb. sed cum testator. Itidem
quia lex vult, quod volens uti beneficio legis, confi-
ciat inventarium: Si jam heres legem spernit, facit
se indignum beneficio legis. *l. auxilium. §. fin. ff. de minor.*
Frustraq; legis auxilium invocat, qui in legem com-
mittit. *Matth. Steph. cent. 2 qq. 94. lit. a.*

LI. Tertiò sicut Falcidiā ita etiam Trebelliani-
cā amittit, cum propter *Nov. i. c. 2. & Autb. sed cum testator.*
toties all. tum quod d. Nov. ratio locum habeat non
modò in singularibus, sed etiam in universalibus fi-
deicommissis & non modò in Falcidia, sed etiam in
Trebellianica. Ratio autem communis hæc est, tum
ut & heredis & fideicommissarii contumacia punia-
tur nolentis uti hoc beneficio, tum quia utroque ca-
su & tam in universalī quam singulari fideicommisso
possit heres, nisi reprimatur necessitate inventarii
conficiendii, multa clam amovere & avertere ex re-
bus hereditariis. eruditè Giphan. *ad l. fin. C. de jure de-*
lib. Accedit, quod Falcidiæ nomine etiam Trebellia-
nica veniat. *Gail. 2. obs. 119. n. 7. per l. 6. C. ad Sct. Trebell*

adde l. pater filiam. 14. ff. ad L. Falc. l. coheres. 41. §. quod si heredem. 3. ff. de vulg. & pupill. substit. & quidem non impro priè, ut nonnulli tam veterum quàm recentiorum volunt, sed propriè, si usus proprietatem spectemus non vocis, ut eleganter ostendit Vinnius 2. qq. 28. Sic denique quantum ad pœnam nulla est diversitas inter Trebellianicam & Falcidiam, licet alias in nonnullis inter se differant, ut patet ex Nov. 1. de hered. & falc. 1. §. si verò l. fin. §. si verò postquam. C. de jure delib. Porcell. de invent. c. 6. Menoch. 3. consil. 272. n. 81. Covarruv. in cap. Raynutius. §. 11. n. 10. X. de testam. Vinn. cit. qq. 28. Ludwell. Disput. ad Instit. 9. th. 9. Hoenon. Disput. 11. ad Instit. tb. 21. Wissenb. 1. Disp. ad ff. 57. tb. 22. Dissentiunt aliàs Dd. communiter. Gail. 2. Obs. 138. n. 6. Mynsing. 3. obs. 60. Fachin. 4. controv. 38. Francisc. Sarmient. select. interpr. c. 7. Zoes. ff. de jure delib. n. 17. Harprecht. §. 6. f. de hered. qual. Treutl. 2. D. 12. tb. 13. lit. a. qui tamen sibi contradixit, dum contrarium postea asseruit. 2. D. 14. tb. 10. ut rectè animadvertisit Bacchov. ad Treutl. dd. ll. Nonnulli distingvunt inter Liberos, quos alii vocant primi gradus, & Extraneos, hos putant amittere, liberos verò non. Anton. Fab. in Cod. Sabaud. 6. tit. 25. defn. 5. Alii interesse putant, num heres pure an sub conditione vel ex die restituere rogatus fuerit. vide Bacch. ad Treutl. 2. D. 12. tb. 9. lit. a. Alii aliter sentiunt. Nos insuper habitis his distinctionibus, priorem affirmativam in puncto juris veriorem & probabiliorem putamus, cum Dn. Fabricio in Gail. Enucleat. 2. observ. 138. & ibid alleg. Dd. quamvis posteriorem negativam consuetudine receptam Bernhard. Grevæo ad Gail. cum & ab eo citat. nec non Matth. Stephani d. qq. 94. lit. b. facile concedimus.

LII.



L II. Quartò Liberi ob non confectum inventarium amittunt Legitimam. Hoen. *Disput. ad Instit.* 10. *Contr.* 10. Licet enim & hic negativa, nisi fraus & interceptio inventarii manifestè probetur, Mich. Grass. *recept. sent.* §. *Legitima.* q. 45. crebriorem obtinuerit calculum Interpretum, in praxi etiam obtinere, ut videre est apud Gail 2. *Observ.* 138. n. 14. ibiq; Grevæum. Fachin. 4. *Controv.* 34. Rittersh. p. 6. *Expos. Nov.* c. 4. n. 6. c. 5. n. 29. & c. 8. n. 38. Hieron. de Cævallos *specul. commun. opin.* q. 691. Nobis tamen juri & rationi conformior videtur contraria affirmantium scil. sententia, quod nimur amittatur legitima, vel potius, quod ea, non facto inventario, prætendi nequeat, ratio 1. desumitur ex generalitate textuum, d. l. fin. §. 2. & §. 12. item *Nov.* 1. c. 2. §. 2. ubi generaliter dicitur, quod heres non conficiens inventarium in solidum etiam ultra vires hereditarias omnia legata ac fidei-commissa complere teneatur, nec distinguitur, Suus sit heres, an alienus seu extraneus, ut potius, dum immixtionis, quæ suorum heredum est, mentio fiat, Sui heredes, seu tales quibus legitima debetur, præ-supponantur. d. §. 2. ibi vel sese immisceat. & §. 12. ibi adierint vel sese immiscuerint. (2) Quia ratio d. l. fin. & d. *Nov.* de poenâ non confecti inventarii etiam in liberis heredibus locum habeat. Quibus accedit tertia, ratio in liberis, quorum majus est delictum, patris voluntatem aut hereditatem repudiare & contemnere, & quidem ob æs alienum hujus famam & existimationem mortui maximè liberi tueri debebant adversus Creditores. §. 1. I. qvibus ex causis man. non licet. Breviter, spernere voluntatem defuncti & ejus beneficium in extraneis, est ingrati, in liberis est ingratissimi

simi & impiissimi. Duaren. de jure accresc. l. c. 3. Plures rationes videri possunt apud Zœf. ff. de jure delib. n. 16. qui hanc sententiam unà cum Fulgosio & Cuacio probat, consentiunt Sarmientus 2. select. interpret. c. 7. Viglius ad §. 6. Inst. de hered. qual. & differ. Covarruv. in cap. Si heredes 10. de Testam. Hoenon. d. l. Vinn. 2. qq. select. 28. Wissenb. 1. ad ff. Disp. 57. θ. 21. & 22. Idem ad Inst. Disp. 25. θ. 14. Richter ad Auth. sed cum testator. Peretz. in Cod. tit. de jure delib. n. 13. & Dn. Struvius in Syntagm. jur. univers. exerc. 33. θ. 57. nec non Giphanus ad l. fin. C. de jure delib. ubi simul ad contraria solidissimè responderet.

LIII. Quintò , sicuti inventarii beneficio confusio obligationum evitatur, ita non confecto inventario, aditione hereditatis confunduntur actiones heredis cum hereditariis, hoc est, si heres jam ante Creditor fuit testatoris, postea adierit ejus hereditatem, tollitur omnino obligatio, quam heres habuit adversus defunctum, Regulare enim hoc, obligationes confundi, cum vel debitor Creditori vel Creditor debitori heres extiterit ; l. 95. §. 2. l. 34. §. 8. l. 75. ff. de Solutionib. l. 3. C. de Fideicommiss. l. 5. C. de hered. act. Giphan. ad §. Sin autem. alleg. l. fin. C. de jure delib. Roland. à Valle de confect. inventar. p. 5. §. 11. pone heres &c. num. 8.

LIV. Postremò , si heres rogatus est alteri restituere hereditatem , & non confecerit inventarium, tenebitur quanti Fideicommissarii interest. arg. l. 7. ff. de admin. & peric. tut. Harprecht ad §. 6. Inst. de hered. qual. & differ. n. fin. Verum, num Fiduciarius heres Creditor, non confecto inventario, jura sibi competentia contra defunctum Creditorem suum amittat?

tat? difficillimæ quæstionis est: communiter Dd. affirmant. Nos negativam, quod Fiduciarius heres contra Fideicommissarium universalem jus suum integrum conservat, & quod à defuncto sibi debebatur, deducere queat, vel simpliciter restitutâ hereditate, actionem suam ipso jure per aditionem confusam & extinctam ex æquitate salvam retineat, defendemus cum Paulo de Castro *ad l. Ita tamen. §. Siex Trebelliano. ff. ad Sctum Trebell.* cùm quod non confessò inventario respectu Creditoris & Fideicommissarii universalis in jure veteri remaneamus, Roland. *d. l. n. 6. 7.* tum quod novum non sit, quod obligationes & actiones, quæ summo jure per aditionem hereditatis confusæ sint atque extinctæ, eadem tamen iterum, ex singulari æquitatis ratione restituuntur. Hillig. *Don. Encl. 7. c. 3. lit. O.* Haud secūs ac actiones hereditatis competentes contra defunctum per aditionem hereditatis confunduntur, venditâ verò hereditate actiones venditori competentes per aditionem confusæ restituuntur, *per text. exp̄ss. l. 2. §. 18. ff. de hered. vel act. rend.* Fideicommissarius est similis emptori hereditatis; à similibus itaque simile judicium, vid. Rume lin. *de Confusione pos. 20. & 28.* consentiunt Natta *Con fil. 323. n. 2.* & Hinded. *l. Consil. 58. n. 26.* Plura de pœnâ non conficientis inventarium videri possunt apud allegat. Roland. à Valle, *citat. tract. part. 5. per tot.*

L V. Ut concludamus hunc de jure inventarii discursum, hoc unicum addere placet: Quod inventarium non modò sit introductum in gratiam Hereditum, ne scil. teneantur ultra vires hereditatis, & sic nullum sentiant damnum, *§. & si præfatam. d. l. fin. C. de jure delib. ibiq; Dd.* sed absque periculo hereditates habeant,

habent, nihilq; ex suâ substantiâ penitus amittant,
Gloss. in d. s. verb. periculo. verùm etiam Creditorum,
ne bona hereditaria ab heredibus subtrahantur, Ro-
land. à Valle d. l. p. i. q. s. vel ut notabilia Baldi ver-
ba adjiciamus: Ne heredes in subtrahendis vel sup-
primendis rebus hereditariis, præsertim mobilibus,
(quarum facilis est occultatio) possent aliquam ma-
lignantatem committere. Bald. 4. Consil. 265. in pr. Boer.

Decis. 61. col. 4. in princ. Porcell. de Inventar.
in princ. vers. quæro deinde
&c.

Tantum! Terminalia sunto!

Ad Per-Eximum Dn. Respondentem,
j. ll. Candidatum, Amicum & Cognatum
sincerè dilectum.

Quâ ratione queat sine damno cernier ullo
Hæreditas amplissima,
Quatenus & prosint facta *Inventaria*, & obsint
Ex jure prudenter doces.
Fallor? an ad lautam via sic sternatur honoris
Hæreditatem mustei?

Ita ominatur cum voto felicissimi laudabilis
instituti successu

Joh. Michaelis, SS. Theol. D.
& Prof. Ord. Consist. Reg. Adsestor &
ad D. Jacobi Pastor.

Quem

554

Qvem stimulum Natura Tibi subjicit, & insons
Majorum Virtus, hoc instigante paratu
Insigni quondam Boreales excutis oras,
Et nunc attentus Juri preclara conaris,
Mittis & egregium in cathedrā patriamq; libellum.
Successus felix operis mox plura docebit:
Quod precor, & meritā studiis per tempora Laurum;

Scilicet
in palæstra nostra Juridica & in novo hoc, quod
ipse edis, munerarius veluti, certamine
Tibi
& Athletæ & Victori PYLI eruditissime suavissimeq;
nec enim alii,
quam PUGNANTI SUPERANTIQ.
obtingit,

Joannes Pomereschius, J. U. D.
& Prof. Ord. Consistorii Regii
Director.

scrip^tta Peritorum Juris Te volvere, PYLI,
Et voluisse, tua hæc pagina docta docet.
Quidni florentem lauri de fronde coronam
Post vigiles noctes conferat alma Themis

Boni omnis causâ festinante calamo
scrib.

Fridericus Gerdeszen / J. U. D.
eiusdemq; Prof. Ordin. & Consisto-
rii Regii Affessor.

F

Theſau-



9

Theaurum inventum solus sibi servat avarus :
PYLIUS haud facit hoc ; dividit ille suum.
Publicat hic monstratq; sua Inventaria : multos
Hujus thesauri participes faciens.
Invenit, ut possint alii Inventaria nosse :
sedulus inventor, dum meditatur opus.
Gnavor inquiras porro, pulchramq; tiaram
Mox tibi requiras, quam Themis alma dabit !
Gratulabundus l. mq; apposuit

DISPUTATIONIS PRÆSES.

P. 201

Er gibt uns Flügel her ? hier reift sich von der Erden
ein Sinn voll Geist und Glut hin zu des Himmels Dach /
wil durch gelahrten Fleiß dahin versetzt werden /
wo Sterne sind / und gehn dem hellen Phœbus nach.

Da wo Justitan die weisse Bahn der Helden
als Haupt und Führer tritt / wo Carpzov rühmlich steht /
und wo uns Majen Sohn ganz sicherlich darff melden /
dass auch der grosse Nev schon in dem Orden geht :
Da trägt sein Geist ihn hin. Er wil durch embig lesen
mehr Ländern seyn bekand / als die sein Fuß berührte :
bis daß Er über Erd und alles eitle Wesen
werd' in der Fama Schöß an jene Zahl geführt.

Hier läßt Er vor ein Buch sein Lob und Namen schreiben /
das / ist mir anders recht / schon nach dem Himmel schmeckt /
bald wird sein Vorsatz ihn auf etwas höhers treiben /
worzu Er uns jesund dß Zeichen aufgesteckt.

Wolan ! ich wünsche / daß sein rühmliches Gemühen
viel Gutes nach sich zieh : und daß bald umb und an
sein Haar von Eoorberlaub und Myrthen möge blüh'en /
die ihm hier Themis , und sonst Venus geben kan.

So wünschte seinem Freunde und
Tischgenossen


J. E. Pfuel / Human. Prof. Publ.





VD77





FarbKarte #13



DISCURSUS JURIDICUS
DE
Jure Inventarii,

QUEM,
SS. TRIADE B. F.

Consensu Nobilissimi JCtorum Ordinis,
in Academia Gryphiswaldensi,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. PETRI MASCOWII,

U. J. D. ac Professoris in Almâ hac Ordinarii,
Fautoris ac Præceptoris sui summè
devenerandi,

*Publica & placida Eruditorum ventilationi
submittit*

GOTFRIDUS PHILLI
Stralsundensis,
A. & R.

Ad diem 6. Maii, Anno O. R. M. DC. LXX.
in Auditorio Majori horis consuetis.

GRYPHISWALDIAE,
Characteribus MATTHÆI DOISCHERI, Academia Typographi.

27